





1709, 20
22
1

CHRISTIANI WILDVOGELII

JCTI,

CONSILIARII SAXO-ISENACENSIS INTIMI
ET ANTECESSORIS
COLLEGII JURIDICI h. r. DECANI,

DE

STULTITIA EMTORIS

ad

L. 3. pr. ad L. Falcid.

PROGRAMMA INAUGURALE,

P. P. JENÆ, D. XXIIIX. JULII A. C.
M DCCIX.

J E N Æ,

Literis JOHANNIS ADOLPHI MULLERI,

Andr. Linné Borsdörfer

CHRISTIAN WILDOGELLE

COLLEGIUM JURIDICUM
ET ACCESSORIS
CONSILIARII SAXO-ISENACENSIS
1711

STALTIATA EMTORIS

PROGRAMMA INAUGURALE
P. P. JENÆ D. XXIIII. JUNII A. C.
MDCCLXIX

JENÆ
LUDWIG JOHANNIS ADOLPHI WALLERII





Quando pereximus ille Ictus Vlpianus, in pretio emtionis & venditionis naturaliter contrahentibus licere se invicem circumvenire, in *l. 6. §. 4. d. minor.* ex mente Pomponii statuit, varix inter Doctores de hac sententia orta fuerunt disceptationes, dum alii nimis duri ter hæc ita dicta putant, alii vero apta interpretatione eadem defendi posse existimant. Et quod ad *circumventionis* verbum attinet, per illud non dolosam deceptionem, qua alteri ex maligno proposito damnum infertur, quippe quod omni jure est prohibitum, sed prudentem industriam, seu studium œconomicum augendæ rei familiaris gratia susceptum denotari, vel ex eo facile intelligitur, quod ipsi augustissimi Imp. Diocletianus & Maximianus in *l. 8. C. d. rest. vend. emtionis* atque venditionis substantiæ congruere dicunt, ut emtor villore, venditor cariore pretio distrahendi votum gerentes ad hunc contractum accedant, vixque post multas contentiones paulatim venditore, de eo quod perierat, detrahente, emtore autem huic, quod obrulerat, addente, in certum consentiant pretium: atque hinc neque bonam fidem, quæ emtionis atque venditionis contractum tuetur, pati, neque ullam rationem concedere, propter hoc consensum initum contractum; vel statim, vel post pretii quantitatis disceptationem, rescindi, expresse statuunt. Neque enim
A 2
cujus.

cujuslibet rei certus & perpetuus valor, cui pecunia solu-
 ta exacte respondeat, investigari semper potest, cum pro
 ratione temporum, pro conditione loci, pro ratione item
 ipsorum contrahentium, quorum alter pecunia abudat,
 alter indiget, pretia rerum venalium variare, omnibus no-
 tum sit. Hinc idem Ulpianus in *l. 52. §. 29. d. furti*, justum
 pretium tanti aestimandum esse, docet, quanti res emptorem
 potest invenire; nec non in *l. 1. §. 16. ad. sc. Trebell.* rem
 aestimandam esse, ait, quanti vendi potest. Porro, ne ver-
 bum: *naturaliter* quo Ulpianus in supra dicta lege utitur,
 aliquem offendat, illud haudquaquam ad jus natura, sed
 ad ipsius contractus sive partium contrahentium naturam,
 de qua modo laudati Imp. loquuntur, referri debere,
 contendit Gothofr. *ad cit. leg. 16. n. 17.* vel, seu vult Gro-
 tius *d. 7. Bell. & Pac. lib. 2. cap. 12. §. 26.* de receptis passim
 moribus est accipiendum, ad eum modum, quo Paulus in
 epistola ad Ephesios *cap. 11* de viris scribit, quod natura
 doceat, turpe illis esse comam alere, cum tamen id natura
 juri haud repugnet, & apud multos populos valde sit usu-
 ratum: ut taceam, *Licere* hic non idem significare, ac *fas* es-
 se, sed illud tantum indigitare, quod permessa sit circum-
 ventio, nec ullum proditum remedium contra eum, qui se
 pacto vel conventionem defendit, interprete eodem Gro-
 tius, *cit. loc.* Neque enim conditio hominum id aliter fert, nec
 utilitas rerum publicarum permittit, cum juxta verissimum
 Seneca effatum: *Sublata spe questus, languent mercatus.* Ob
 hanc ipsam causam, jus quoque canonicum, omnem alias
 proximi lationem penitus prohibens, ejusmodi venditio-
 nem ratione pretii inaequalem tolerat, nec rescissionem
 contractus permittit. Dum enim in *cap. 3. & pn. d. em-
 vend.* Pontifices illam saltem venditionem improbant, qua
 quis ultra dimidium veri valoris damnum passus est, eo
 ipso haud obscure inculcant, extra hunc casum subsistere
 conventionem, modo deceptio nulla intervenerit, qua,
 cum

cum ex lesione ultra dimidium veri pretii presumatur, merito ob eandem rescindi contractum, tum civilia quam canonica jura permittunt. Quid igitur, si emtor aestimationem rei sciens, eam majori pecunia emerit, aut saltem debitam diligentiam in perquirendo istius valore non adhibuerit? sane *STVLTTIAE* eum arguit *JCTus* in *l. 3. pr. ad L. Falcid.* atque ob id conquerentem illum haudquam audiendum esse, jura communiter volunt. Etiam si enim *Pinellus* in *l. 2. C. d. res. vend. p. 1. cap. 1. n. 10.* *Alber.* in *ead. d. n. 120.* *Fachin.* lib. 2. *contr. 20.* aliique, remedium ist. hoc sine distinctione, utrum quis sciverit pretium rei, nec ne, prodictum esse, & beneficium legis non in dolo aut errore, sed in nitia inaequalitate fundari putent; negari tamen nequit, neminem volentem injuria affici, nec de inaequalitate conqueri posse, qui semetipsum lubens ladi passus est, ut sic optima ratione is pro stulto aut fatuo reputari debeat, qui ita pecunias suas projicit & rem viliozem majori pretio comparat. Hinc, si hereditas, qua solvendo non est, ab herede vendatur, & legatarii ex illa legata petant, nihil ipsis deberi, *Paulus* decidit, in *d. l. 3. ad L. Falc.* rationem hanc subjiciens: *quia magis ex STVLTTIA EMTORIS habere videtur heredes institutus, quam ex bonis defuncti.* Pulchre cum hoc *JCTus* pronuntiato congruit id, quod *Plinius* lib. 1. *epist. ult.* scribit: *Mala, inquit, emtio semper ingrata est, eo maxime, quod exprobare STVLTTIAM domino videtur.* Rectissime igitur tali in casu emtor remedio legis *2. C. d. revoc. vend.* non juvatur, quippe quod laesus tantum tributum est, & ne alias melioris conditionis sint *STVLTL*, quam periti, prout eleganter loquitur *Venulejus* in *l. 4. quod vi. aut clam.* quod & repetit *Bonifacius VIII.* *Papa* in *cap. 18. d. prob. in 6.* Pari modo *Paulus JCTus* in *l. 9. §. 1. d. Jur. & fact. ignor.* disquirens, an is, qui imperitia lapsus legis falcidix beneficio usus non est, repetitionem pecuniae solutae habeat? idque pernegans, hanc suae negationis rationem reddit: *non STVLTTIS solere succurri,*



curri sed errantibus. Et Justinianus Imp. in *l. fin. C. de hered. inst.* hominem *supinum* *STULTO*, assimilare non veretur.

Hæc cum ita sint, tantum abest, eos, qui pecunias suas ad comparandam solidam eruditionem & bonarum artium scientiam impendunt, pro stultis emtoribus reputari debere, ut potius prudentiæ illorum adscribendum sit, quod nullis parcant opibus, nullos reformident labores, quo tales sibi acquirant opes, quæ possessores suos vere divites reddunt ac felices. Nec enim læsio quædam vèrenda est ejusmodi emtori, licet is omnes aut plurimos nummos ad comparandam doctrinam profundat, cum civilis sapientia, teste Ulpiano in *l. i. §. 5. d. extor. d. cognit.* sit res sanctissima, quæ pretio nummario æstimari nequit, imo donum DEI, ut Hieronymus affirmat, relatus in *can. 65. eaus. 16. qu. 1.*

Hujus probe gnarus pereximius jurium Candidatus

ANDREAS SIMSON BIECHLING,

Magdeburgensis

in id hæctenus omni studio incubuit, ut in hac nostra pietatis officina & honestissimarum artium emporio, eruditionem veram & non simulatam compararet, votique sui compos jam honores & præmia exposcit, quæ studia liberalia sequuntur. Quæ equidem negari haud debent. Candidato dignissimo, ut potius nihil sit prætermittendum eorum, quæ honori ipsi aut decori esse queunt. Quare & publico vitæ ac studiorum elogio in præsentem cohonestandus est, cuius vita ac studia exemplo aliis erunt, quo ad pares conatus, & ad honores etiam similes inflammentur. Patria ipsi obtigit Magdeburgum, olim archiepiscopatus, nunc ducatus, metropolis, & capitulo canonicorum & omni cultu insignis, quæ gremio ipsum suo excepit an. MDC LXXXVI. haud sine amplissimorum parentum gaudio, non nisi honorifice à nobis nunc nominandorum. Pater enim vir con-

sultis-

fulatissimus, ANDREAS SIMSON BIECHLINGIVS, qui
 in illustri Mædeburgensium curia advocati ordinarii digni-
 tatem, quoad inter mortales versabatur, virtute ac solertia
 tuebatur, & licet anno MDC XCI. ad meliora transfret, suæ
 tamen celebritatis ac laudis igniculos in animo filii, tunc
 adolescentis, relinquebat. Mater vero, matrona honestissi-
 ma, ANNA ELISABETHA, stirpis GERCKIÆ, cunctis
 doribus, quæ vel administrandæ rei domesticæ, vel educa-
 ndæ soboli profunt, dum in vivis erat, instruebatur. Quæ
 igitur spes in bonorum omnium animis tunc oriebatur, fu-
 turum videlicet, ut parentum suorum exemplo, filius præ-
 clare agendo solidam sibi compararet laudem, ea nec pro-
 pinquos, nec cives sefellit. Cum enim, honoratissima,
 etiam matre, uno adhuc Nostri præsidio, anno MDC CI,
 in cælum translata, digrederetur ex patria, deque cogna-
 torum sententia, ad percolendas literas, quæ solæ adole-
 scentiam ornant, *Solequellam* primum, post *Halberstadtium*
 peteret, talem Noster se præbuit, ut omnibus, qui forman-
 do ejus ingenio præerant, inque primis Lycei Halbersta-
 diensis Rectori præclarissimo, M. JOANNI BALTHASARI
 ELENDIO, capacitatem pariter suam ac industriam ap-
 probaret. Ab his ergo præceptoribus institutum, atque
 studiis academicis præparatum, anno MDCCV. nostra hæc
 Academia suscepit, ac scientiæ juris a suo olim parente suc-
 cessibus haud pœnitendis tractata, totum quidem se tradi-
 dit; neque tamen necessaria ejus adminicula, quæ in phi-
 losophia ac historia recte ponuntur, insuper habuit, sed ma-
 xime reverendi TREVNERI ac consultissimi STRUVII,
 Collegarum nostrorum honoratissimorum auspicio, cum
 legitima disciplina conjunxit. Hujus vero præcepta tum
 ex Jurisconsulti excellentissimi, JOANNIS CHRISTIANI
 SCHROETERI, professoris juris, atque antecessoris ce-
 leberrimi, tum ex doctoris nobilissimi, FRIDERICI GOTT-
 LIEBII STRUVII ore sedulo hausit; iis unice rebus in-
 tentus,

rentus, quas in vita luce, splendoreque forensi, plurimum
 usus habere sciebat. Cujus deinde propositi, cum in pa-
 triam se reciperet, atque clientum causas diceret, fructus
 uberrimos capiebat. Jamque spei majori imminet candi-
 datus doctissimus, nostra venia, quam & modestis preci-
 bus, & suo merito impetravit, summorum in jure honorum
 accessione, partas in hac academia atque patria laudes cu-
 mulaturus. Cum proinde virium suarum periculum in-
 examinibus faceret, nos non modo testes suæ peritiæ, sed
 etiam applausores sortitus est. Die hujus mensis trigesi-
 mo igitur, si dederit DEVS, hora X. ante meridiem, in-
 acroaterii juridici lucem prodibit, lectione, quam dicunt,
 cursoria legem, cum heredes. 7. C. qui testam. sac. poss. de mo-
 re explicaturus. Vos igitur, *Prorector Magnifice, Prorector Ma-
 gnifice designate, Proceres aulae atque academice excellentissimi,
 venerandi sacrorum antistes, hospites honorandi, generosi
 ac doctissimi juvenes*, ea, qua par est, ratione oramus, ut can-
 didato nobilissimo calcar addere, & utrumque nostrum
 vestra presentia ad quæcunque humanitatis officia
 obligare velitis. P. P. sub Facult. sig. d. XXIIIX,

Julii, A. MDCCIX.



ULB Halle

3

003 331 911




Sl.

v 778







1709, 20
22

CHRISTIANI WILDVOGELII.

JCTI,
CONSILIARII SAXO-ISENACENSIS INTIMI
ET ANTECESSORIS
COLLEGII JURIDICI h. t. DECANI,

DE
STULTITIA EMTORIS

ad
L. 3. pr. ad L. Falcid.
PROGRAMMA INAUGVRALE,
P. P. JENÆ, D. XXIIX. JVLII A. C.
M DCCIX.

JENÆ,
Literis JOHANNIS ADOLPHI MVLLERI,

And. Simon Bredling